



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXII. De S. Gallo Aruernensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Descri-
ptio Ico-
nis Ma-
rianæ in
Tügerle.

Quàm benè virgineo vernant hæc Lilia campo.

Qualia nimirum Lilia, talis ager.

Lilia parthenij sunt symbola vera pudoris.

Virginitatis honos, virgo parénsque simul.

Lilia certa spei sunt argumenta future.

Virgo Dei genitrix, spes mea. spésque tua est.

Non poterant meliore nota decorare Tabellam:

Aptior in toto non erat orbe decor.

Fufius isthæc omnia pro oblata occasione deduxi vt Belgas meos ad maiorem cultum S. huius Remigij, & ad eius opem implorandam calamitoso hoc tempore incitarem, qui regem Clodouæum regum, vt multi vocant. Christianorum primitias & Belgarum inclytam sobolem solemnem illo baptisinate baptizare meruit, quod tribus iam dictis cœlestibus prodigijs nobilitatum fuit.

C A P. XXII.

De S. Gallo Aruernensi Episcopo.

Paul. diac.
de gest.
Longob.
li. cap. 4.

TEmpore Justiniani Imperatoris circa annum Domini 565. quo & ipse Imperator mortuus est, petis illa vehemens, inguinaria dicta, vniuersam inuasit Italiam peruasitq; etiam regiones boreales. Subitò apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ si quis voluisset abluere magis magisque apparebant. Cœperunt & nasci in inguinibus hominum & alijs delicatioribus locis glandulæ in modum nucis seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis æstus, ita vt triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum

duum transgressus esset, habebat spem viuēdi, erat ubique luctus, ubique lacrymæ, & plurima mortis imago. Nam fugientes cladem aut vitantes relinquebant domos desertas habitatoribus, solis catulis eas seruantibus: pecuaria sola remanebant in pascuis nullo astante pastore: cerneres villas & castra agminibus hominum repleta, postero die vniuersis fugientibus in summa vastitate & silentio fugiebant filij insepulta parentum relinquentes cadauera: si quem fortè antiqua pietas perstringebat vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus, & dum obsequebatur, perimebatur: dum offerre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat, vt videres sæculum in antiquum redactum silentium: nulla vox audiebatur nisi gementium in morte, nullus pastorum sibilus, nullæ ferarum insidiæ parabantur, nulla damna volucibus. Sata transgressa metendi tempora intacta expectabant messorum: vineæ amissis folijs radiantibus uvulis illæxæ, remanebant hieme appropinquante, nocturnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus; nulla tamen erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, & tantum visus oculorum superebant cadauera mortuorum. Pastoralia loca conuersa erant in sepulturas hominum, & habitacula humana facta fuerant habitacula bestiarum; & hæc potissimum, inter Italiam tantum vsque ad fines Alemannorum & Boiariorum accidere Romanis. Sed Italiæ terminis contineri non potuit; mox enim & exteras regiones, Gallias & Germaniam peruasit. ita fere Paul. Diaconus. De Treuirensibus & Rhemensibus iam dixi: nunc de Aruernensibus S. Galli ibidem tunc Episcopi precibus ab ea liberatis, audiamus Gregor. Turon.

R

Huius

I. 4. Hist.
Franc. c. 5.
& in vita
S. Galli.

Huius tempore, inquit, cum lues illa quam inguinariam vocant in diuersas regiones defœuaret, & maximè tunc Arelatensem prouinciam depopularetur, S. Gallus Aruernensium Episcopus non tantum pro se, quantum pro populo suo trepidus erat: cumque die nocteque pro populo deprecaretur ut plebem suam vastari non cerneret, per visum noctis apparuit ei Angelus Domini qui tam cœlatiem quam vestem in similitudinem niuis candidam efferebat, & ait ad eum: Bene enim facis ô Sacerdos quòd sic Dominum pro populo tuo supplicas; exaudita est enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusque te viuente in regione ista ab hac strage deperiet. nunc autem ne timeas; post octo verò annos time. Vnde manifestum fuit, inquit author, eum transactis his annis è sæculo discessurum: quod & factum est. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac consolatione agens quòd eum per cœlestem nuntiam confortare dignatus esset, rogationes illas instituit ut media quadragesima psallendo ad basilicam S. Iuliani Martyris itinere pedestri venirent. sunt enim in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta. Tunc etiam in subita contemplatione parietes vel domorum vel Ecclesiarum signari videbantur; vnde à rusticis hæc scriptio Thau vocabatur. Cùm autem regiones illas, ut diximus, lues consumeret, ad ciuitatem Aruernam S. Galli intercedente oratione non attigit. vnde hanc non paruam censeo gratiam qui hoc meruit ut pastor positus oues suas deuorari defendente Domino non videret. hætenus Turonensis de patrono suo S. Gallo. Cùm autem esset iam morti vicinus ita febris interna omnia membra eius depilauit ut capillos simul & barbam amitteret; deinde panes sibi offerri iubens eis benedixit benedictosque astanti populo distribuit, persoluentisque

què Officium matutinale, prout eodem tempore in Ecclesia peragebatur, expansis brachijs Deo & cœlo intentus, ipsdem spiritum suum tradidit.

Illud interim non otiosè hic obseruauero de signatura domuum vel Ecclesiarum, quam Thau illi vocabant, eà littera potius quàm alia eas insigniri, quia Thau Hebraicè significat *viues*; vel, vt alij, *Tam*, id est, (nec à Belgico idiomate alienum est) simplex, innocens & perfectus ac proinde dignus qui in vita seruetur. Deinde teste Origene, Hebræi tradunt Thau, quia vltima litterarū Hebraicarum est, & quia Thora, id est, lex incipit à littera Thau, significare eos qui perfectam & practicam habent scientiam diuinæ legis, & ex hac scientia habent sensum & dolorem præuicationum secundum illud Ezechielis:

Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio Ierusalem. vnde S. Hieronymus: Hebræi autumant quia

lex apud eos appellatur Thora quæ hac in principio nominis sui littera scribitur, id est, Thau, quòd illi hoc acceperò signaculum qui legis præcepta compleuerant. Sic & Græcis & Latinis Thau erat signum vitæ & eius Symbolum; Theta verò, mortis. vnde Iudices damnatos notabant littera Theta; liberandos Thau, & inprimis Theta apud iudices fuisse notam *θανάτος*, id est, mortis, constat ex Aulonij epigrammate 120.

Cap. 9.
Vide Cor.
à Lapide.

*Miselle doct̃or & tibi sit obsceno
Tuumq̃ nomen Theta sectilis signet.*

vbi Scaliger: & inquit, erat signum suspendij; refert enima laqueum collo inuolutum. ¶ verò, littera condemnatoria.

R 2 quin

quin & in castris militem ex cohorte morte dispunctum, hæc nota significabat: Verùm de littera Theta piè & eleganter Christianus Martialis:

*Infelix multis Theta est; mihi littera felix:
Si θάνατον scribit, scribit & illa θεός.*

Bernad.
Bahufius
l. 3. epig.

Euag. li. 4.
c. 6. Nicép.
li. 17. c. 3.

in chron.
anno 527.

Ex quibus omnibus liquidò satis apparet non esse novitiam neque superstitiosam hoc tempore bonorum Catholicorum laudabilem carimoniam, qui ædes suas signant nominibus Iesu, Mariæ, Annæ, vt sic à peste præferuentur. Fundamentum enim habent ex mandato Domini, Ezechielis 9. vt modò audiuius, item Exodi 12. vbi iubentur filij Israel sanguine agni paschalis (qui figura Christi fuit) vtrumque postem & superliminaria domorum suarum illinere, quatenus ab angelo exterminatore primogenitorum, immunes præferuentur. Anno à Christo nato 528. cùm Antiochena ciuitas grauissimo terræ-motu concuteretur, ad diuinum confugientes patrocinium incolæ necessitate pietatis magistra suadente, Christi nomen pro foribus suis inscribentes eo modo terræmotum dispulerunt, cùm Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: *Christus nobiscum, stete.* quo facto, stetit ita Dei, inquit noster Abbas Vrspergensis. Et quid aliud hæc nominum sacrorum inscriptio foribus præfixa denotat, quàm eos fide bona plenos bene sperare se illorum Sanctorum meritis quorum nomina sic venerantur, posse à malo defendi? aperta siquidem & publica ac quasi in actu exercito religiosa horum tutelarium invocatio est; quàm qui damnat, nã ille ab omni retrò posteritate damnatus est, & etiamnum hodie ac in per-

perpetuum à sincerioris fidei sequacibus damnandus. ita perfectiores Catholici in hoc Belgio nostro pro insignibus domorum suarum non profana vt leonis, canis, cerui, scuti Francici, Anglici, &c. Sed sanctorum nomina aut effigiem accipiunt & suspendunt, quo facto protestantur sese eorundem meritis posse & actu iuuari. Hinc toties in Catholicis nostris ciuitatibus hasce aut similes domuum inscriptiones est videre:

*Dit huys is Godt bequaem, Sinte Peeter, Pauuvels, &c. is
Sijnen naem.*

antiquo scilicet & laudabili primorum Christianorum vsu; retert enim Theodoretus in vita S. Simeonis Stylitæ Romæ in omnibus officinis pro foribus pendere consueuisse imagines S. Simeonis. Quin & Chrylostomus oratione in S. Meletium, dicit eius imagines adeò celebres fuisse vt etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus atque vbique alibi conspicerentur, vt ea ratione præsidium & tutelam eorum sibi conciliarent.

Insuper plurimis in locis vel ante ædes vel in ipsis ædibus, in officinis collocant imagines horum Sanctorum ceu patronorum & tutelarum, ac potissimum B. Virginis Sanctorum sanctissimæ, & vespere ante illas (quod Antuerpiæ, vt ipse à pueris vidi, in omnibus pæne officinis solemne est ante imaginem S. Deiparæ) cereos vel lampades accendunt, tum vt eos venerentur, tum vt iugem eorum memoriam & imitationem sibi refricent; tum etiam vt eos inuocent, & inuocando benedictionem tam temporalem quàm spiritualem accipiant. & meritò, neque enim decet ab impia gentilium superstitione piam fidelium religionem superari. de illis namque Hieron. in Isai. cap. 37. Nullus fuit locus qui non idololatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum vt post fores domorum idola ponerent

rent quos domesticos appellant Lares & tam publicè quàm priuatim animarum suarum sanguinem fundent. hoc errore & pessima consuetudine vetustatis multarum provinciarum ciuitates laborant, ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, vt tam intrantes quàm exeuntes domos suas inclyti semper commoneantur erroris. idque per Prophetam suum Isaiam grauissimè Deus exprobrat Iudæis in viam gentium malè abeuntibus, dicens: *Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum*, id est, idolum Dei tui, vt illud quasi Tutelæ simulacrum tam intrans quàm exiens adorares, felicemque ac faustum regressum & ingressum, id est, omnes actiones ab eo prosperari posceres. Quod illi perperam falsis dijs exhibebant, nos id rectè veri Dei sanctis amicis præstamus. nec idcirco gentilizamus, sed gentilium errorem corrigimus, & ad orbitam sinceræ pietatis reducimus.

Vide Alex.
ab Alexan.
l. 3. genial.
cap. 14.

cap. 17.

C A P. XXIII.

De sancto Augustino Hipponensi Episcopo.

Magnus Aurelius Augustinus, Canonicorum regularium genuinus parens, & Ordinis nostri Præmonstratensis diuinus Legislator, etiam in hoc sacro Sanctorum cœtulo sibi vendicat. De illo enim ita Cornelius Lancilottus nuper Augustinianorum Exprovincialis & Prior Antuerpiæ: In vrbe Papiensi (requiescunt ibidem sacræ eius reliquiæ, eò à Luitprando rege Longobardorum ex Sardinia solennitate regiâ translata) iam

l. 2. vitæ
S. Augu. t.
cap. 5.